



Leopoldus filius fuit Alberti comitis Baben-
 burgensis, qui ex illustri Sueuorum ducum fa-
 milia suam originem habuit. Cum autem Alber-
 tus ille Conradum Francorum comitem occidi-
 set, & ipse quoque Hattonis prae^{re}sulis Moguntini a-
 stutia captus, & publica sententia condemnatus
 fuisset, eius familia hinc inde dissipata est. Erat au-
 tem Leopoldus insigni corporis & animi fortitu-
 dine praeditus. Itaque Heinricus primus Cesar eum
 in Austriam alegauit, atque eius regionis Marchi-
 onem constituit. Vngari enim perpetuis incursio-
 nibus eam regionem uastabant, atque ex ea parte
 Romanum Imperium mirum in modum turba-
 bant. Vnde Leopoldus eam prouinciam sortitus, magno animo intrauit, ac
 contra Barbarorum irruptiones fortiter defendit. Erat tum Gyfo magnæ po-
 tentiæ princeps, qui arcem Melicum cum oppido occuparat, quod tum Fer-
 reum castrum uocabatur. Cum eo Leopoldus congressus, eum prostrauit ac
 uicit. In ea arce ipse habitare coepit, atque duodecim Canonicos seculares in e-
 ius templo constituit, quos certis stipendijs exornauit, ut Deo inservirent, atque
 iuuentutem eius regionis bonis literis instituerent.